

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Adnexus decreto diei 18 maii, Prot. N. 229/20

**Additiones in Libris liturgicis Ritus Romani  
de memoria ad libitum sanctæ Faustinæ Kowalska, virginis**

IN CALENDARIUM ROMANUM GENERALEM

OCTOBER

5 *S. Faustinæ Kowalska, virginis*

IN MISSALE ROMANUM

Die 5 octobris

**S. Faustinæ Kowalska, virginis**

De Communi virginum: pro una virgine vel de Communi sanctorum: pro religiosis.

COLLECTA

Deus, qui sanctæ Faustínæ munus tribuísti  
imménsas tuæ infinitæ misericórdiæ divítias diffundéndi,  
ipsa intercedénte nobis concéde,  
ut eius exémplo de tua bonítate plene confídere  
atque caritatis ópera generóse perfícere valeámus.  
Per Dóminum.

IN ORDINEM LECTIÖNUM MISSÆ

**651a** Die 5 octobris

**S. Faustinæ Kowalska, virginis**

De Communi virginum vel sanctorum.

Lectio I      **Eph 3, 14-19, n. 740, 7.**

Ps. resp.      **Ps 102 (103), 1-2. 3-4. 8-9. 13-14. 17-18a, n. 739, 6.**

Alleluia      **Mt 11, 28, n. 741, 5.**

Evang.      **Mt 11, 25-30, n. 742, 4.**

## IN LITURGIAM HORARUM

Die 5 octobris

S. FAUSTINÆ KOWALSKA, VIRGINIS

Nata anno 1905 in Glogowiec, in Polonia, brevem vitam suam Christo dicavit in Congregatione Sororum Beatæ Mariæ Virginis a Misericordia. Vocationem accipiens nuntiandi misericordem Dei amorem, in *Diarium* animæ testimonium reliquit mysticæ suæ experientiæ et opus suscitavit ad Divinam Misericordiam in toto orbe terrarum nuntiandam et implorandam. Obiit Cracoviæ anno 1938.

**De Communi virginum vel de Communi sanctorum: pro religiosis, præter sequentia:**

### **Ad Officium lectionis**

#### **LECTIO ALTERA**

Ex homilíᾳ sancti Ioánnis Pauli II papæ

(Acta Apostolicæ Sedis 92 [2000] 671-672).

#### *Misericordiæ Christi nuntius*

Máximo re vera hódie gáudio affícumur, cum vitam et testimónium Sorórís Faustínæ Kowalska toti Ecclésiæ ut donum Divínum nostris tempóribus datum osténdimus. Nutu Divinæ Providéntiæ vita illús húmilis filiæ in terra Polóna natæ cum história sǽculi vicésimi, quod nuper prætériit, omníno coniúcta erat. Christus enim annis inter primum et secúndum bellum mundánum misericórdiæ Suæ núntium ei commísit. Qui memória tenet, qui testis ac párticeps fuit evéntuum illórum annórum horribiliúmque dolórum, quibus hómines innumerábiles sunt affécti, bene novit, quam necessária fúerit Misericórdiæ Divinæ annuntiátio.

Iesus Sorórí Faustínæ dixit: «Hómines nullam quiétem invénient, donec ad misericórdiam meam cum fidúcia vertántur» (*Diarium*, p. 132). Per religíosam Polónam hic núntius Misericórdiæ Divinæ cum sǽculo vicésimo in perpétuum coniúncutus est, quod sǽculum claudit secúndum millénnium et tértio millénnio viam áperit. Qui núntius novus non est, sed donum præcipuæ illuminatiónis habéri potest, quæ iuvat nos Evangélium Paschæ subtílius amplécti, ut illud sicut rádium lucis homínibus nostræ ætátis ferámus.

Quid nobis anni adveniéntes áfferent? Quod fiet futúrum hóminis in terra? Id scire non datur. Certum est tamen quod præter nova próspera non déerunt pro dolor étiam experiéntiæ dolorósæ. At lumen Misericórdiæ Divinæ, quod per charísma Sorórís Faustínæ Deus mundo tamquam dénuo commíttere voluit, humánas vias tértio millénnio illuminábit.

Necésse est tamen, ut hómines – sicut olim apóstoli – recipiant hódie in cenáculo históriæ Christum resuscitátum, qui post crucifixiónem vúlnera osténdit repetítque: *Pax vobis!* Necésse est, ut hómines se a Spíritu Sancto, quem Christus post resurrectiōnem dat eis, occupári atque pervádi concédant. Spíritus enim vúlnera cordis curat, muros díruit, qui nos a

Deo et ínvicem ab áltero dívidunt, efficítque, ut amóre Patris et simul unitáte fratérna íterum gaudére possímus.

Christus dócuit nos «hóminem non solum misericórdiam Dei ipsíus experíri et cónsequi, sed étiam vocátum esse, ut ipse áliis “misericórdem se præbéreret”: *Beáti misericórdes, quóniam ipsi misericórdiam consequéntur* (Mt 5, 7)» (*Dives in misericordia*, 14). Iesus osténdit nobis multifárias vias misericórdiæ, quæ non solum peccáta remíttit, sed ómnibus necessitatibus humánis óbviam it. Iesus se inclinávit in omnem misériam humánam, materiálem et spirituálem.

Núntius misericórdiæ Christi pérvenit ad nos contínuo in gestu mánuum Eius, quas ad hóminem doléntem tendit. Talem Christum vidit talémque homínibus ómnium continéntium prædicávit Soror Faustína, quæ cum Cracóviae in monastério suo Lagievnicénsi latéret, vitam suam fecit hymnum in honórem misericórdiæ: *Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo* (Ps 89 [88], 2).

Responsorium

Ps 88 (89), 2; 102 (103), 8

R/. Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo, \* in generatióne et generatióne annuntiábo veritátem tuam in ore meo.

V/. Miserátor et miséricors Dóminus, longánimis et multæ misericórdiæ. \* In generatióne.

Oratio

Deus, qui sanctæ Faustínæ munus tribuísti imménsas tuæ infinítæ misericórdiæ divítias diffundéndi, ipsa intercedénte nobis concéde, ut eius exémplo de tua bonitáte plene confídere atque caritatis ópera generóse perfícere valeámus. Per Dóminum.